



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. Quando sive in quibus casibus indicenda sit purgatio Canonica, vel non?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

TITVLVS. XXXIV.  
DE PURGATIONE CANONICA.

## §. I.

*Quid sit purgatio in genere, & quotuplex, & à quo indicenda sit purgatio Canonica, & quibus indici possit ac debeat?*

**P**urgatio, prout hîc de ea sermo est, aliud non est, quàm ostensio innocentiae de objecto crimine: duplex autem illa est, vulgaris alia, quæ in sequente titulo reprobatur; alia verò Canonica, à jure Canonico scilicet inventa, & approbata. Indicitur autem hæc purgatio Canonica à iudice competente, ab Episcopo v. g. qui non tantum Clericum, sed in criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, etiam Laicum subditum ad purgationem talem faciendam cogere potest *cap. Nos inter 6. h. t.* ita ut hæc indici etiam possit regularibus utriusque sexûs, si de crimine infamati fuerint, damnari tamen de hoc non possint ob defectum sufficientis probationis *cap. Moniales 3. h. t.* vel si de defectu aliquo, seu impedimento Canonico infamati sint. *cap. Accedens 14. h. t. §. 20.*

## §. II.

*Quando, siue in quibus casibus indicenda sit purgatio Canonica, vel non?*

**I**ndici debet ea, quando quis est publicè v. g. de crimine apud viros honestos,

& graves infamatus (quòd si erim à malevolis tantum orta sit infamia, nec scandalum ullum sit, non indicatur purgatio Canonica) & adfuit, plures quidem, verosimiles præsumptiones, siue semiplena probatio, sufficienter tamen & legitime probari illud non potest. Quòd si enim crimen sit notorium, ita ut celari non possit, vel legitime probatum, non tam Canonica purgatio indicenda est, quæ in tali casu locum non habet, sed sententia punitiva contra talem pronuntianda erit, vel absolvi debebit, si nihil contra eum probatum est. Quòd si tamen in purgatione defecerit, cui purgatio indicta est, imponi debet, & omni beneficio ac officio privari, prout colligitur ex *cap. Condictis 15. h. t.*

## §. III.

*Quæ sit forma purgationis, siue quomodo ea fieri debeat?*

**F**orma & modus hujus purgationis præscriptus est in *cap. Quarta 5. h. t.* primò scilicet, ut ipse purgandus (si ingenuus & honesta persona sit, vili enim homini vix deferretur purgatio hæc) iuret super Sancta Dei Evangelia, quòd crimen illud, de quo infamatur, non commiserit (saltem eo tempore, de quo est infamia) nec per se, nec per alium, mandando